

vulgo *opium* dicti, impuri in frustula concisi, libram unam.

Alcoholis diluti libras duodecim.

Digere leni calore, subinde agitando, donec solvatur opium; dein per chartam cola, et leni igne in balneo aquæ destilla ad spissitudinem massæ pilularis, vel si placet ad siccitatem, ut in pulverem teri possit.

CAMPHORA *ejusque* PRÆPARATA.

CAMPHORA PURIFICATA.

℞. Camphoræ vulgo venalis impuræ quantum placet.

Alcoholis quantum opus,

Ut solvatur. Alcohol sic camphora saturatum cola, et liquori colato adde

Aquæ destillatæ quantum opus,

Ut camphora omnis præcipitetur; dein effunde liquorem, et camphoram leni igni expose ut siccetur et in massam coëat. Si partibus colorantibus adhuc inquinatam iisdem

penitus liberam desideras, sublimationi expose.

VIRTUS : Sedativo-narcotica ; antispasmodica ; antiseptica.

USUS *internus* : Blechropyrae (Typhus et synochus) ; exanthemata atonica , retrocedentia ; cardialgia ; dysuria ; œstromania ; mania ; hysteria ; (cum sulphure) colica plumbea. — *Externus* : Arthrodynia ; ophthalmia ; gangraena ; morsura insectorum ; ulcus fungosum ; colica spasmodica. — Item ad paranda præparata varia sequentia.

DOSIS : Grana tria-sex-decem, ad drachmam unam, bis terve de die cum saccharo aut vehiculo quocunque.

NB. Camphora videtur esse oleum volatile, principio carbonico absorpto, in formam solidam concretum.

OLEUM CAMPHORÆ VOLATILE.

SYN. *Oleum camphoræ destillatum ; oleum camphoræ liquidum et butyraceum artefactum.*

℞. Camphoræ libram semis.

Argillæ siccae pulv. libras duas.

Optime permixta e retorta vitrea lenissimo igne destilla. Oleum cum phlegmate acidulo in excipulum transiens subtilissimum ab eodem separa; et cum portione olei butyracei in collo retortæ sublimati mixtum, usui serva.

Usus externus eximius: Arthrodynia aliive dolores rheumatici et arthritici; Punctura insectorum.

NB. Hoc oleum camphoræ, destillatione obtentum, distingui debet ab oleo volatili camphoræ nativo in India orientali obtento; utpote quod virtutem resolventem et sedativam in arthrodynis rheumaticis et arthriticis longe efficaciorum possidere dicitur.

OLEUM CAMPHORÆ NITRICATUM.

℞. Camphoræ uncias tres.

Acidi nitrici uncias sex.

Digere in vase probe obturato per octiduum; dein oleum supernatans caute separa.

USUS *externus* : Ulcus fungosum, carcinomatosum ; paralysis ; arthrodynia ; myodyniam.

OLEUM CAMPHORATUM.

℞. Camphoræ contusæ unciam unam.
Olei olivarum (vel amygdalarum) uncias quatuor.
Terendo solve.

USUS *externus* : Dolores rheumatici ; phlogosis-erythema ; morsura insectorum.

ACETUM CAMPHORATUM.

℞. Camphoræ unciam semis.
Acidi acetici uncias octo.
Misce ut fiat solutio.

USUS : Mania ; œstromania ; blechropyra petechialis.

DOSIS : Uncia semis , bis terve de die.

ALCOHOL CAMPHORATUM.

SYN. *Spiritus vini camphoratus.*

℞. Camphoræ unciam unam—duas.
Alcoholis libram unam.
Misce ut fiat solutio.

OLEA VOLATILIA. 155

USUS *externus* : Phlogosis-erythema ; morsura insectorum ; contusura ; subluxatio ; distorsio ; arthrodynia.

ÆTHER CAMPHORATUS.

Vide ÆTHER.

AQUA CAMPHORATA.

Vide SOLUTIONES.

OLEA ET OLEOSA.

I. OLEA VOLATILIA.

SYN. *Olea ætherea destillata aut expressa ; olea essentialia s. odorifera plantarum.*

G. *Huiles volatiles (Essences).*

Liquida inflammabilia, volatilia, odoris peculiaris plantæ, fortis penetrantis ; saporis acris, aromatici ; in alcohole præcipue, pro parte tamen etiam in aqua, solubilia, ut plurimum destillatione, quædam etiam expressione, ex plantis integris aut partibus plantarum peculiaribus parata.

A. OLEA VOLATILIA destillatione parata.

Plantæ aut partes earum eo anni tem-